



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De causa passionis & mortis Christi. E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

potuit factus mortalis sine merito gloriam impassibilitatis, ac immortalitatis manifestationem Dei nominis consequi. Potuit tamen hoc assequi sine merito passionis, quia per passionem nil sibi meruit, quod non ante per virtutes meruerit.

De causa mortis, & passionis Christi. E

Ad quid ergo voluit pati & mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro me? Ut ipsius passio & mors tibi esset forma & causa. Forma, virtutis & humilitatis: causa, gloriæ & libertatis. Forma, Deo usque ad mortem obediendi: & causa, tuæ liberationis ac beatitudinis. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam, quod per prædicentia non meruerat, scilicet aditum paradisi, & redemptionem à peccato, à pœna à diabolo: & per mortem eius hæc nos adepti sumus, scilicet redemptionem, & filiorum gloriæ adoptionem. Ipse enim moriendo factus est hostia nostræ liberationis. Sed quomodo per mortem nos à diabolo, & à peccato redemit, & aditum gloriæ aperuit? Decreuerat Deus in mysterio, ut ait Ambr. propter primum peccatum non intro mitti hominem in paradysum, id est ad Dei contemplationem non admitti, nisi in vno homine tanta existeret humilitas, quæ omnibus suis proficere posset: sicut in primo homine tanta fuit superbia, quæ omnibus suis nocuit. Non est autem inuentus inter homines aliquis, quo id posset impleri, nisi leo de tribu Iuda, qui aperuit librum, & soluit signacula eius, implendo in se omnem iusticiam, id est consummatissimam humilitatem, qua maior esse non potest. Nam omnes alij homines debitores erant, & vix unicuique sua virtus sufficiebat & humilitas. Nullus ergo eorum hostiam poterat offerre sufficientem reconciliationi nostræ. Sed Christus homo sufficiens, & perfecta fuit hostia: qui multo amplius est humiliatus, amaritudinē mortis gurgulando,

Qualiter per mortem redemit nos & aditum regni aperuit.

Amb. in commentariis ad illud ca. 5. ad Rom. Ada, qui est forma futuri. tom. 5. Apoc. 5. 6.